1

# RECTORATVS MAGISTRI IOANNIS WOLFII RORBACENSIS MEDICINAE DOCTORIS ET PROFESSORIS, DECIMA NONA DECEMBRIS ANNO A CHRISTO NATO .M.D.XXXIIII. ELECTI.

Anno [et] die quibus Rector quodlibetarum, assessores consistorii, & contubernorum superattendentes designari petiuit. Nominatique sunt in superattendentes Nouis D. Georgius Nigri theologice decanus facultatis & professor primarius: DN. Vitus Hasz theo.[logie] Doctor Ordinarius Sueuus: Regalib.[us] vero M. Henricus Stoll theo.[logie] Bacc.[alaureus] Lector publicus & huius opidi concionator: Assessorum & quodlibetarii electio propter frigoris iniurias in sequentem reijciebatur senatum.

22. Decembris Vniuersitas congregata censuit librum hunc nouum in quem acta scriberentur compingendum. Et D. Georgio Nigri, ut is stipendiariis ex fisco salaria sua accipientib.[us], pecuniam a festo Ioannis Baptiste usque ad festum Natiuitatis domini anni huius deseruitam numeraret et exolueret, iussit: Cumque rogaretur num disputatio quodlibetaria rursum esset instituenda, putabant Dominationem hanc causam Vniuersitatis senatu plenario mature & equi consilio esse discutienda. Porro Rectori qui eadem sessione assessores in consistorium assignari petebat. Responsum est ut ipse Rector iuxta reformationis tenorem quos uellet eligeret. Eos uero qui electioni sue repugnarent Vniuersitati indicaret. Elegit igitur M. Valentinum Kleynman Theologum. Licent.[iatum] Wendalinum heylman pro canonista, Licent.[iatum] Sigismundum Tauru pro Legista. M. Mathiam Boszler pro medico. M. Erhardum Schonperger & M. Bernhardum Maium artistas. Postremo in eodem consessu legebantur littere Senatus spiren.[sis] cum inclusis responsione & forma querendi Iacobi Bechingers, ad eum modum qui sequitur et vo ad vm scripte.

Dem wirdigen hochgelertenn herren M. Rectorn der loblichenn uniuersitet heidelberg unsern herrn und guttenn freunde /


© Universitätsarchiv Heidelberg